Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8444
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



L

obnubit secundum quod capiti scilicet xpo conuenit significat illud quod in apocalipsi describitur videlicet angelum dei fortem descendisse de celo amictum nube et in ysaia ecce dominus ascendet super nubem candidam. veniens enim ad saluationem mundi saluator mundi dei filius angelus magni consilii amictus est nube dum diuinitatem abscondit in carne. nam caput uiri xpc. caput xpi. dicitur hoc quod carnis latibulum significat sacerdotis amictus quod et per illam syndonem expressius significatur quam summus pontifex caput obducit. de quo in t. de succinctorio dicetur. et placere quidem quod per calciamentum pedum habet ipsum per amictum capitis designatur. quia diuinitas in carne latuit et per carnem innotuit. nam cum notus esset in iudea deus et in israel magnum nomen eius in ydumea extendit calciamentum suum et ante conspectum gentium reuelauit iusticiam suam. Amictus enim representat operimentum quo iudei uelabant faciem xpi dicentes. Mt. vi. prophetizaba nobis xpc. quis est qui te percussit. De alba. R.

Post amictum camisiam sive albam sacerdos induit. quia membris corporis conuenienter aptata nichil superfluum aut dissolutum in uita sacerdotis aut in eius membris esse debet demonstrat. habet ob speciem candoris mundiciam demonstrat secundum quod lc. omni tempore uestimenta tua sint candida. fit autem de bisso uel lino. propter quod scriptum est. bissinum sunt iustificationes sanctorum. Est autem bissus linum egyptiacum. sicut enim bissus uel linum candorem quem ex natura non habet. multis tonsionibus attritum acquirit per artem. sic et homo caro mundiciam quam non optinet per naturam per exercicia bonorum operum multis castigationibus macerata sortitur per gratiam. Sacerdos ergo secundum apostolum castiget corpus suum et in seruitutem redigat ne forte cum aliis predicauerit ipse reprobus fiat. habet autem alba capicium quod est professio castitatis. habet et lingulam que significat linguam sacerdotalem que ligat contumaces et absoluit penitentes. Rursus habet uestis que in ueteri sacerdocio linea uel podis grece seu tunica talaris dicebatur. stricta fuisse describitur propter spiritum seruitutis in deorum in timore. in nouo uero larga est propter spiritum adoptionis in libertate. quia nos xpc liberauit. Que autem aurifrisium et gramata diuersis in locis ac uarius operibus ad decorem habet. illud insinuat quod propheta dicit in ps. astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato. cir. u. Rursus alba cingulo stringitur. ut omnis uoluptas carnalis astricta intelligatur. dicente domino. Sint lumbi uestri precincti. et cetera. Omnes amice quoque albe tam quam et tunicelle conuenienter esse debent stricte. non nimis laxe ut labantur et brachia nudentur. habentes in summitatibus aurifrisia. ad significandum aureos torques. quia brachia beati martini missam celebrantis miraculose decenter operuerunt. prout in vii. parte sub eius festo dicetur. Alba quam corpus a sursum usque deorsum tegitur. spes que ex gratia proueniet ecclesie de sursum. et ex meritis ecclesie deorsum figuratur. de hac apostolus ad Ro. viii. Spe salui facti sumus. quia uero usque ad talos descendit perseuerantiam designat. prout tactum est propter finem prohemii huius partis. Porro secundum quod capiti scilicet xpo conuenit. alba que est lineum uestimentum longissime distans a tunicis pelliceis que de mortuis animalibus fiunt quibus adam uestitus est post peccatum nouitatem uite significat. quam xpc et habuit et docuit et tribuit in baptismo. de qua dicit apostolus. Exuite ueterem hominem cum actibus suis et induite nouum quod secundum deum creatus est. nam et in transfiguratione resplenduit facies eius sicut sol. et uestimenta eius facta sunt alba sicut nix. semper enim uestimenta xpi munda fuerunt et candida. quia peccatum non fecit. nec inuentus est dolus in ore eius. Hec et uestis representat albam uestem in qua herodes illusit xpo. luc. xxiii. De zona seu cingulo. R.

Debet autem alba circa lumbos sacerdotis seu pontificis zona seu cingulo quod in lege et apud grecos baltheum dicebatur precingi. ne defluendo gressum impediat. ut castitas sacerdotis per albam significata multis incentiuorum stimulis dissoluatur.

ex. de sacr. unct.

nudi

etiam